

ego olim juris feci in Anecdotis meis Græcis, Patavii (1) Anno MDCCIX. editis. Carmine XXXVI. *Nicomedem*, fortassis Episcopum, ΕΠΟΡΓΑΟΙΟΙΣ *COELICOLIS* *citissime immixtum* dicit. De eodem quoque in Carm. XXXVIII. ait:

*Τίθεναι τῆς* ΜΕΓΑΛΗ ΟΥΚΑ ΜΙΘ ΤΡΙΑΔΙ.

*Idcirco* ὁ ΜΑΓΝῆς ΚΙΤΟ ΜΙΧΤΟΣ ΕΣΤ ΤΡΙΑΔΙ.

Quod supra non semel Nazianzenus dixerat de divina Triade, cui adsistunt, & quam contemplamur Justorum Animæ hinc profectæ, idem heic innui vides. Item Carm. LXXI. in Gregorium patrem, inquit Corpus ejus dulcem nunc somnum carpere:

*Anima vero evolans Deum invenit.*

Eundem Carm. LXXIII. Nunc apud sacram Triadem degentem ait: De matre quoque sua Nonna in Carm. cxi. scribit:

*Trinitas illa, quam desiderabas,*

*A templo sublimi ad Cælum te rapuit.*

Sed & ipse Gregorius ad eandem Beatitudinis sedem anhelabat, seque illuc adducendum statim a morte sperabat. Hinc tres ejus verus habemus, a Tollo, atque a me editos:

*Angeli, fulgentes in immenso Cæli gyro,*

*Triluminis Deitatis unum jubar circumspicientes,*

*Suscipite Gregorium, indignum quidem, attamen Sacerdotem.*

Reliqua omitto, ut aliam Nazianzeni locum perpendam.

Neque enim dissimulare volo magnum hunc quoque virum in fanebri Oratione x. in laudem Cæsarii fratris affirmasse. Piorum Animas in Sinu Abrææ post Corporis depositionem ferri. Verumtamen quæ is continuo addit, evincunt, nihil aliud eidem fuisse Sinum illum, nisi Beatitudinis ineffabilis locum in Cœlis, ac præcipue si eum iis conferas, quæ nuper ex aliis illius Orationibus congestimus. Inquit autem: *At tu, divinum ὁ sacrum caput, utinam Cœlos penetres, atque in Abrææ Sinu, quicumque tandem ille sit, Requiescas, ὁ Angelorum choream, ac Beatorum virorum Gloriam ὁ Splendorem spectes, vel potius Una Cum Eis tripudies ὁ exultes; omnia, quæ heic sunt, ex alto deridens, ὁ Magni illi REGI ADSTANS* (ΒΑΣΙΛΕΥ Τῶ ΜΕΓΑΛῶ ΠΑΡΙΣΤΑΜΕΝΟΣ) *atque illinc emicante Lumine impletus.* Ceterum infra Theologus idem monet, ingenti quidem Beatitudine donari nunc Animas nudas ad Deum profectas: verum ejusmodi Beatitatem tum solum fore perfectam atque completam, quam una cum Anima Caro quoque iterum sociata in cœlestem Gloriam transferetur. *Sapientum, inquit, verbis adducor, ut credam, omnem Animam pulcrâ, Deoque caram, postquam Corporis vinculis soluta hinc abiit, Protinus in gustu ὁ contemplatione* (θεωρία) *manentis Boni positam (utpote eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel deposito) Mirabili quadam Voluptate delectari ὁ exultare; bilaremque Accedere ad sinum ipsius Dominum, quippe quæ de hac vita, veluti e gravi quodam ergastulo elassa, ὁ compedibus ipsam circumdantibus,*

(1) Prima editio, nunc in nostra Collectione sequentibus Tomis ponentur.